









1720.

1. <sup>1. et</sup> Johann, Petrus. Federicus: De matrimonii legibus  
etque benedictione sacerdotali. 2 Bndl. 1720. 1744.
2. <sup>2. et</sup> Stein, Johann: De conjugio maris pauperis et  
foeminae locupletis. 2 Bndl. 8ff. 1720. 1740.
3. Stephani, Johann Albertus: De rebus exportari  
prohibitis vulgo Cente bande - Wahren.
4. Tilenius, Baldu.: De jure civitatis in aquis consti-  
tuti.

1721.

1. Bayerus, Theophilus Lycopidus: Historia congrega-  
tionis cardinalium de propaganda fide.
2. Schroederus, Philippus Richardus: De eo, quod justum  
est circa vota novi anni.
3. Schroederus, Philippus Richardus: De finibus poli-  
tices et jurisprudentiae.

1724.

4. Tilenius, Baldh: De remissione exheredationis

1725.

Tilenius, Baldhusus: De sensu tituli: nos Dei gratia

Rec. 1757.

1724. Beckensteins, Simon: De inuitate Distinc-  
tionum quarundam in specie: De lege permissiva  
et proceptiva, de infamia juris et facti, de jure  
natural primario et secundario.

2. Borelius, Mathias Srueter: De epilepsia et Depressio  
Cranio.

1725

1. Beckensteins, Simon Simon: De inuitate Distinctionis  
inter senectutes urbanas et rusticas

2. Tilenius, Baldh: De cantela: Bei Verpfändung aller  
meiner Haab n. Guttes. 2 Bnd. 1725. 1745

1729.

Schme, Reinholdus Fildorfen: De juribus videri nobilibus  
in regno Borussiae

1730

1. Pöschker, Daniel Hurdau: De abstin.
2. Waga, Stephanus: De restitutione feminae per uxorem

1733.

Waga, Stephanus: De probatione mortis per instrumentum

1734.

Bolz, Theodorus: De die.

1735

19. 10 Waga, Stephanus: De eo, quod justum est, circa matri-  
monium in mortis articulo contractum 2 Suppl. 1735

1747

1737.

1. Michel, Philipp Theod: De jure et justitia cogitatione

1737.  
1. Schmal, Reinholdus Fridericus: De venatione, seu  
2. ~~Buckenstein, Joh. Simon:~~ De venatione, seu  
pore facturae per arum prohibita. 2. Edit. 1737/5/17.  
3. Schmal, Reinholdus Fridericus: De locatione  
jurisdictionis.

1738.

Wegg, Stephanus: De iis, quibus jus belligerandi com-  
petit.

1739.

Testerus, Sigism. Christoph: De poena bigamiae  
a conjugio malitiose deserto committae.



20.

20  
1724 11 12

Q. D. B. V.

EXERCITATIONES JURIDICÆ

DE

**INUTILITATE  
DISTINCTIONUM  
QUARUNDAM,**

IN SPECIE:

DE

**LEGE PERMISSIVA ET PRÆCEPTIVA:**

DE

**INFAMIA IURIS ET FACTI.**

DE

**JURE NATURÆ PRIMÆVO ET SE-  
CUNDÆVO.**

DE QUIBUS

*Magnifici Actorum Ordinis Consensu;*

PRO RECEPTIONE IN FACULTATEM

DISPUTABIT

**JOH. SIMON BECKENSTEIN,**

GED. J. U. D.

ET RESPONDEBIT

**JOHANNES THEODORUS von Kohlen/**

R. B. LL. STUD.

ANNO MDCCXXIV. DIE XV. MAJI

HORIS LOCOQUE CONSUVETIS.

---

REGIOMONTI, LITTERIS REUSNERIANIS.



VIRIS

*Illustrissimo, Per - Illustri, Excellentissimis, Generosissimis,  
Consultissimis, Maxime Strenuo,*

FRATRUM PARI NON IMPARI

DOMINO

**DIETERICO à TETTAU,**

S. R. Maj. in Borussia a Consiliis Status intimis,  
Supremo Regni Burggravio,  
Hæreditario Domino in Wicken, Schoenbruch, Ramfen &c. &c.

DOMINO

**FRIDERICO à TETTAU,**

Præfecturæ Fischaviensis Præfecto, Terrarum Provincialium  
Consiliario, Supremi in Borussia Judiciæ Præsidis Vices-  
gerentis, Ordinis Johannitici Equiti,  
Legionis Chiliarchæ,

Hæreditario Domino in Grabenthin, Quandithen, Thinsdorff.  
Terrarum Pieskeim, Leiffen, Wanditten,  
Domino &c. &c.

**DOMINIS ET MAXIMIS ET GRATIOSISSIMIS  
STUDIORUM MOECENATIBUS**

HAS CHARTAS ACADEMICAS  
REVERENDISSIMO INSTINCTU  
IN SIGNUM MENTIS SUBJECTISSIMÆ  
ET SUI COMMENDATIONEM ET TUTELAM  
QUAM HABEBUNT SINE MOLESTIA

ADDITO VOTO  
UT FORTUNA QUÆ EST MAGNA AUGEATUR INDIES  
SACRAS SCRIBIT

GLIENS FUTURUS PÆPETUO ET SINE DISTINCTIONE  
JOHANNES THEODORUS von Kohlen,

## PROOEMIUM.



Notum est proverbium: *Qui bene distinguit, bene docet*, cujus usus non saltem ad Logicos, sed etiam ad omnes doctrinas, & igitur quoque ad Jurisprudentiam pertinet. Neque negandum est, ipsa rei veritate hanc sententiam adstrui, unde non inutiliter fecerunt, qui vel integris tractatibus de arte distinguendi, vel suis in Logicis speciali capite de divisione egerunt. At ex eo ipso sequitur eum male docere, qui male distinguit. Fit hoc autem toto die, hocque Cacoëthes mole sua quasdam scientias ita obruit, ut fere videantur abiisse in Terminologiam, neque tam res ipsas discamus & doceamus, quam potius obscura vocabula, quibus illi, qui eruditos se vocant, inter se uti consueverunt, quibusve in Republica litteraria concessere jus civitatis.

### §. II.

Et videtur hoc malum multum suæ originis debere libidini rixandi, quam honestiori vocabulo artem disputatoriam dixerunt. Nota enim sunt & nobis a patrum memoria quædam exempla, ubi quidvis potius distinguendo noviter excogitare, quam silere placuit, quem modum falsè pro ingenio notavit *Christ. Weisus in Logica Latin.* Neque tamen hoc solum fuit, sed bona etiam mente ad ostendendum ingenii in abstractionibus acumen, aut etiam ad interservendum regulis suæ methodi, hic peccatum est. Quod vel in Patronis Dichotomiarum & Trichotomiarum jam

A

post

2  
post alios improbavit *Gundlig in V. V. P. 1. c. 6. §. 13.* Quæ omnia potuissent evitari, si hanc sanæ rationis regulam sequi libuisset: non divides distinguesque, nisi ubi distinctio vel novæ veritatis inveniendæ, vel etiam cognitæ rectius ordinandæ inserviat. *Gerhard in Philosoph. ration. C. 3. §. 46.* Premittit interim nos illud malum & premet longo tempore, vix enim deponuntur inveterata & difficulter rationi ille conceditur locus, quem consuetudo jam occupavit. Hinc oritur necessitas, & talibus onerandi memoriam, saltem in eum finem, ne quod sciunt alii, nos nesciamus, incognitaque eo ipso, quod sint incognita admitemur.

### §. III.

Laudandi igitur, qui in suo doctrinæ genere catalogum distinctionum colligere, magis laudandi, qui etiam rejicere supervacuas aut necessarium usum demonstrare voluerunt. Non indicabimus omnes, qui scripserunt Logicas juridicas, utpote, qui hanc materiam saltem in superficie tractant, sed potius nominabimus eos, qui hanc Juris prudentiæ in specie navarunt operam, quales sunt *Antonius Henr. Mollenbecius*, qui edidit *divisionum juridicarum centurias tres* Rintelii 1653. in 8vo. *Anton. Matthæi de divisionibus & distinctionibus juris ab interpretibus confectis*, quæ in ejus Collegio Fundamentorum juris est *Disp. 13.* & cum reliquis ejus Collegiis juridicis prodiit Groningæ 1638. in 4to. *Frideric. Hermann. Balcke in dissert. de inutilibus Distinctionibus*, quam pro gradu Doctoratus habuit Gröningæ 1708. in 4to. & *Jac. Frid. Ludovici in Usu Practico Distinctionum juridicarum*, cujus editio secunda prodiit Halæ Magdeb. 1711. in 8vo. editio tertia nihil mutata, sed paginis prioribus respon-

spondens indicem saltem adjecit. Plura non vidimus, depresserunt enim, imo fere extinxerunt continuæ sollicitudines studium historiæ litterariæ, quod præterea non tam in enarratione omnium etiam vilium Chartarum, quam in ponderatione & dijudicatione consistere semper putavimus.

§. IV.

Eodem igitur exemplo placuit etiam nobis quasdam distinctiones juridicas promulsidis loco excutere. Regulas autem has nobis posuimus; Quod solus conceptus disjunctivus ad introducendam aliquam distinctionem non sufficiat, nisi & ea utilitatem habeat. Quod diversæ disciplinæ non sint miscendæ, sed distinctiones, quæ hac occasione oriuntur, explicandæ saltem, non autem, confundendæ in effectibus. Quod distinctionis in Corpore Juris facta mentio, non eo ipso eandem etiam faciat utilem. Vulgaris enim illa vox: Hæc distinctio legalis est, hæc doctrinalis; nobis censetur utrinque revocanda esse ad quæstionem, an sit rationalis, i. e. conveniens rationi: Contra quam si peccatum fuerit, constabit legibus quidem sua auctoritas, errores tamen adscribentur hominibus.

§. V.

Id necessarium credidimus adhuc monere in citandis ad Lauterbachium commentatoribus nos usos esse *editione cum notis variorum* quam curavit Joh. Henr. Mollenbecius Lemgovix 1717, 4to Si quædam minus bene dicta sunt excusabit Lector nostrum scribendi tædium (dicam an oscitantiam) quod non licuit facile excutere. Forre si hac in materia quæ amplissima est, per nova exempla circumducere calamum aliquando placuerit, ea, quæ cum ratione monita animadverterimus, ingenuè sumus indicaturi.

A 2

DE

4

DE  
LEGE PRÆCEPTIVA  
ET PERMISSIVA

ad L. 7. ff. de L. L.

**P**ræjudicia multa, statim ab infantia assumimus, faciliori venia, quia ætas iudicio carens & discendi avida, quicquid novum nondumque sibi cognitum accipit ab aliis, cum gaudio quodam accipit; & ita cum delectatione inprimit memoriæ, non sine tædio examinat, non sine difficultate relinquit. *Gundl. Via veritat. T. 1. P. 2. C. 3. S. 2. §. 2.* Ast non ita bene nobiscum agitur, ut etiam dum provecior ætas sapere nos magis facere deberet, auctoritate aliorum non abripiamur & meditandi quadam ignavia in magnis nominibus hæreamus, Nam facilius est credere, quam iudicare. Prius enim est res memoriæ, posterius iudicii. *Rüdiger Inst. Erud. p. 32.* Vocant hoc auctoritatis præjudicium, quod tanquam species sub se comprehendit, præjudicium ætatis, pietatis, sapientiæ, status & existimationis atque receptorum hypothesium. Hoc autem quanti sit, etiam ex eo colligi potest, quod hanc ipsam de qua agimus distinctionem, tot viri magni inutilem esse agnoverint, & tamen limitatione aliqua admitta eandem rursus salvare conati sint, id quod tamen frustra fieri, attentius consideranti facile patebit.

§. II.

Ansam ei excogitandæ dederunt verba Modestini. *L. 7. ff. de LL. Legis virtus est suadere, hortari, præcipere, vetare, permittere, punire, corrigere.* Quænam singulorum horum verborum vis sit atque significatio, nostri jam instituti non est distinctus indicare. *Vid. interim Harprecht ad § 3. J. de J. & J. n. 3.* Cuilibet tamen expendenti, satis erit clarum, legem late & strictè dictam hic eximie confundi, *Thomas. in Fund. Jur. N. L. 1. c. 5. S. 4.* Id autem

tem

5

rem prorsus nullum est, quod occasione ejusdem inter legem præceptivam & permissivam distinxerint. Jam *Grotius* observaverat permissionem non esse Legis actionem, sed actionis negationem, de *J. B. & P. L. 1. C. 1. §. 9 n. 1.* nam quæ permittit lex non præscribit normam *Thomas. in Fund. J. N. L. 1. c. 5. §. 6. & de contentione Imperii & Sacerdotii p. 94.* Nemo enim cogitur ut ea permissioe uti debeat. *Guilielmus Grotius in Enchirid. Jur. Nat. C. 2. §. 10. & ita lex hic neque præcipit neque vetat, adeoque circa talem actum nihil agit. Puffend. de J. N. & G. L. 1. c. 6. §. 15. add. Job. Sam. Stryck de Jur. liciti sed non honesti c. 1. n. 85.*

§. III.

Hæc etsi satis clara sint, & totam videantur causam conficere, inceptum tamen est dubitari, occasione limitationis, quam huic regulæ adjiciendam esse viderunt. Nempe frustranea fuisset permissio, si exinde non oriretur facultas eadem utendi; hæc autem concedi non censenda est, si alteri liceat in ejus usu me impedire obstaculumque ponere. Hinc jam *Grotius l. c. adjecerat: nisi quantum alius vetatur me impedire; quem deinde tanquam agmine sequuti sunt, concludentes, quod lex permissiva non quidem sit lex, ratione ejus, cui quid concedit, sed ratione aliorum sit lex vere & proprie sic dicta. Gerhard in Fund. J. N. L. 1. c. 5. §. 8. seqq.* quod adeo movit *Titium*, ut necessario diceret, legem esse distinguendam in obligantem & permittentem, cum lex obligans requiratur, ut agere debeas, lex permittens ut secure agere possis. *Titius ad Puffend. Obs. 50. Quibus addas Barbeyrac ad Puffend. L. 1. c. 6. §. 15. not. 2. & Wolff. in Fund. Jur. Nat. P. 1. c. 2. §. 3. & Hochstetter in Colleg. Puffend. Exerc. 3. §. 11. not. f. pag. 126.* Ad quorum igitur rationes expendendas instituti ratio nos vocat.

§. IV.

Scilicet omnia ab his adducta ad salvandam hanc distinctionem, nihil roboris habent. Nam ita tenendum putamus, statum naturalem esse statum libertatis, in quo, quæ Jure naturali non prohibentur, licent omnibus. Quam licentiam, licet Jura Civilia pro

6  
salute reipublicæ, quæ suprema lex est, restringere potuerint, in iis tamen, ubi hæc restrictio non adest, prolicentia merito præsumitur. Ut adeo permissio ex declaratione legislatoris civilis proficitens, nihil aliud operetur, nisi quod rem devolvat ad statum priorem, & declaret licitum esse, quod non est prohibitum, & ita facultas agendi secundum hanc permissionem non quidem oriatur ex lege sed ex ejus cessatione. Id quidem verum est, eo ipso alios vetari, ne utentem hac permissione in ejus exercitio turbent, sed hoc non adscribendum est novæ cuidam legi, sed jam fuit ex naturali illa prohibitiva, qua nemo alterum lædere tenetur, quod fieret, si eum in exercitio sui juris turbaret. *Puffendorff. de Jur. N. & G. L. 1. c. 6. §. 15.* Et ita intelligendum puto *Thomasium*, qui hoc fieri dicit per consequentiam, non tanquam ex nova legis actione, sed quæ jam comprehendatur sub actu vetandi, in *Fundam. L. 1. c. 5. §. 6.*

§. V.

Equidem ipse, cui tale quid permissum est, permissionem suam extendere non debet ultra id, quod concessum est, & in eo videtur actio legis permissivæ se exserere quod facultatem concessam certis limitibus restringat. Sed si cautius attenderimus, apparebit, hoc non provenire ex nova lege permittente, sed ex pristina prohibente, quæ in illis, quæ permissa non sunt, vigorem suum retinet, & lex manet. Juvabit ad majorem illustrationem potissimas permissionum species excutere, varias enim illas esse jam observavit *Bæcker ad Grot. l. 1. p. 143 quem exceperit Puffendorff. de J. N. & G. L. 1. c. 6. §. 15.* Scilicet vel est permissio nudi facti, ubi aliquid licet, quia lex non adest, vel est permissio legis, quæ expressa sanctione aliquid licitum esse declarat. De priori hic quaestio non est, in quo DD. consentiunt. Posterior vero est vel plena, vel est minus plena. Plenam dicunt, quæ dat jus omnimodum licite agendi, ut scilicet nulla regularum moralitatis obstat, quo minus quis etiam in conscientia securus sit; & hæc quidem hujus etiam non est loci, quia non concernit solum justum, sed etiam id quod honestum & decorum est, ut ergo vocabulum legis hic vel sumatur improprie, vel quatenus proprie sumitur libertas naturalis restituta esse censetur. Minus plena vero vel dat solam impunitatem a poena, etiam si actum alias  
non



1  
7  
non probet, & hæc factum non adeo permittit, quam potius pœnam  
removet. Et hac igitur ratione cessat, nam neque in talibus jubet  
lex, ut agatur secundum permissionem, sed saltem agenti non resi-  
stit; vel concedit libertatem ab impedimento, quæ tamen ipsa liber-  
tas hic non consideranda est tanquam effectus aliquis ex permisso-  
ne ortus, sed tanquam regulæ Jur. N. conveniens, quæ alterum in  
exercitio juris sui turbari non debere præcipit. Tertiam quam ad-  
dunt speciem, quæ scilicet det libertatem & impunitatem, ex eis,  
quæ dicta sunt, facile licet dijudicare.

§. VI.

Addamus declarationis gratia, quædam exempla. Ita dum lex  
Civilis certo modo permittit adulteram vel adulterum occidere *Conf.  
Schöpfer. Synops. ad L. Jul. de Adult. n. 22. seqq. Lauterbach. ibid.  
p. 1588. & innot. Grub. ad Alt. L. R. L. 6. T. 5. A. 5. §. 11. Neu L. R.  
L. 6. T. 6. A. 12. §. 7. Dn. de Cocceji Jus controvers. P. II. p. 693.* im-  
punitatem saltem concedit iracundiæ paternæ aut maritali, quæ tam  
inhoneste provocata est: interim non probat hanc sanguinolentiam,  
& igitur nec alios prohibet, quo minus maritum vel patrem, dum  
in eadem adulteræ ruit, impedire queant. Hic clare apparet legem  
nihil agere, nisi quod cesset in pœna applicanda, hoc autem non  
agere est sed quiescere. Accedit quod pœna adulterii publica non  
nisi a lege superveniente est introducta; nam ante L. Jul. coerci-  
tioni mariti & propinquorum hoc crimen subsuit, qui etiam pri-  
vata auctoritate supplicium sumere potuerunt. *Theodoricus in Colleg.  
Crim. C. 6. Apor. 3. n. 84.* quæ ita libertas per hanc posteriorem con-  
cessionem non de novo introducta, sed saltem restituta est. Circa  
permissiones limitatas etiam nihil observatur, quod sententiæ no-  
stræ refragari possit; vocant autem permissiones limitatas, quæ licita  
non censentur nisi sub certo modo, v. g. quod usuræ non ultra  
permissum numerum exigi debeant, quæ Jur. Prut. regulariter se-  
missales sunt. *Neu L. R. L. 4. T. 2. §. 1. ibique Grube.* vel quibus onus  
est impositum, sine quo libere exerceri non possunt, v. g. ut liceat  
dato tributo quæstum corpore facere, quod vocant den *Milch- & Zins.*  
*Carpz. de L. Regia c. 8. §. 2. n. 6. Ursinus in Diss. de quæstu meretricio.  
c. ult. n. 6.* nam hoc utroque casu lex non tam permittit, quam po-  
tius præcipit, scilicet ut non agas secundum libertatem, nisi modum  
pra-

præscriptum observaveris. De justitia talis licentiæ jam non agimus, in propatulo enim est, multa hic mereri censuram, quod bene notarunt *Bæcler ad Grot. L. 1. c. 1. §. 9 p. 150 Barbeyrac ad Puffend. L. 1. c. 6. §. 15. not. 2. in fin. & Joh. Sam. Stryck, in Diss. de jure liciti sed non honesti, c. 1. n. 110.* Interim tamen & hic sæpius legislator excusandus, quem temporis conditio & casus varii cogere possunt, ut a regia via deflectat, eaque permittat, quæ si obtinere posset, quod optimum est non vellet licere. | *Bæcler. l. c. p. 145.*

## §. VII.

Sed forte effectus legis permissivæ se exserit eo in casu si mores novi mediante lege approbentur, v. g. si in republica, ubi talia hæcenus recepta non fuere, introducatur adoptionis vel testamenti usus. ibi enim videtur ex permissione legislatoris fluere, quod tales actus exerceri possint. Sed neque hoc nos a sententia dimovet; nam talis lex nihil hic agit, nisi quod declaret voluntatem legislatoris de relinquendo hic unumquemque suæ libertati, & proprio arbitrio: neque enim jubet talia fieri, sed saltem patitur & si quid circa modum exercendi aut solemnia præscriperit, in eo non permissive agit sed præceptive, ne scilicet subditi hac libertate sua, nisi ad modum præscriptum utantur. Neque de privilegiis aliter sentiendum est (nam & hæc solent pro contraria sententia allegari,) & inde nata est loquendi ratio, quod privilegia non egrediantur personam quoad commodum secus quoad vinculum *Hopp. in C. Inst. p. 42. n. 2.* quo dicere voluerunt, commodum ex privilegio, scilicet facultatem eo utendi, soli competere privilegiato, ne autem in ea facultate impediatur, omnes obligatione legis prohiberi. *Brunnem. ad Inst. p. 4. §. 6.* Unde iis etiam solet hæc clausula subjici: *Gebiethen demnach jeden und allen ernstlich und wollen / daß sie den privilegium bey diesem Privilegio ruhig verbleiben / desselben genessen und gebrauchen lassen / also auch daran nicht hindern / noch dßfalls anfechten und beschweren bey Vermeidung 2c. 2c. Conf. Schlegel im allzeit fertigen Notario p. 18.* Sed & illud non fluit ex privilegio tanquam lege permissiva, sed tanquam ex lege vetante, quæ regulam Jur. Nat. de non lædendo altero nova sanctione roborare voluit. Nihil enim impedit, quo eadem sanctionum tabulæ varia continere capita possint. Privilegium autem, quatenus singulare  
jus

9

jus concedit, non habet naturam legis; sed concessionis gratiosæ.  
*Wolff. in Fund. Jur. Nat. P. 1. c. 2. §. 3. not. 7.*

§. VIII.

Hæc credo dubia quosdam permoverunt, ut omisso legis vocabulo potius distinguerent inter Jus præceptivum & permissivum, sed & illi videntur homonyma confundere. Notum enim est, vocabulum juris duplici sensu accipi, uno, quo denotat regulam ad quam actiones morales componi debent sive legem, altero, quo de notat facultatem sine impedimento agendi, sive attributum personæ, quo in sensu obligationi opponitur. *Gerhard. in Fund. Jur. N. L. 1. c. 5. pos. 2.* Jam vero si distinctioni paulo ante memoratæ curatiorem mentis aciem admoveris, facile apparet, jus præceptivum sumi præ regula, jus permissivum vero denotare meram facultatem. *Puffend. de J. N. & G. L. 1. c. 6. §. 3.* Et licet ex jure præceptivo etiam oriatur agendi facultas, hæc tamen coacta est & lege præcipitur, cum illa quæ sub permissivi nomine exercetur spontanea sit & in cuiusvis arbitrio positum, an ea uti velit, an minus. Quibus observatis concidunt ea quæ habet *Ludovici in Ul. Dist. Jurid. L. 1. T. 1. Dist. 9.*

§. IX.

Ergo controversia de lege præcipiente & permittente pertinet ad Logomachias & quod Jcti crediderint Modestini dictum esse Articulum fidei, ut utar verbis *Thomas. in Fund. J. N. L. 1. c. 5. §. 7.*

§. X.

Non tamen eo animo hæc disputata sunt, ut causam Germaniæ hic agi putemus aut rem adeo magni credamus esse momenti, sed quod aptum Dissertationi Academicæ argumentum crediderimus. Nostra igitur bonacum venia has Distinctiones retinebit, qui volet; neque Practicis aut legislatoribus nostra lucubratione suas denominationes eripere vel mutare voluimus; bene memores, multa in scholasticis talia rejici, quæ in aulis, secretioribusque Principum conclavibus personant. Cujus inter multa exempla unicum esto distinctionis inter bellum defensivum & offensivum, quod posterius nunquam justum est, si ex traditis DD. rem æstimes. *Gerhard. in Fund. L. 2. c. 2. Pos. 23.* Interim tamen non impedient DD. quo minus in concludendis fœderum tabulis etiam in bello offensivo justam alter alteri opem promittere se posse putet & pacto ipsoque facto promittat.

B

DE

DE  
INFAMIA JURIS ET FACTI

ad Tit ff. de his, qui notantur infamia.

§. I.

**I**nfamia inter modos est, quibus delicta coercentur; idque præcipuum habet, ut existimationem alicujus apud alios lædat; quod probare superfluum est. Jure Romano varii casus recensentur, quibus ea infligitur. *Vid. Tit. ff. de his, qui notantur infam. & C. ex quib. caus. infamia irrogetur, & de infamibus. 10.* Mores nostri autem ejus dispositionem in multis non observant, licet interdum Statuta bona fide antiquum jus repetant & vulgus commentatorum dicta dicat, *conf. die neue Sällische Bibliothec. Tom. II. p. 308.*

§. II.

Quis enim hodie credat infames fieri, qui in scenam prodeunt sive in loco publico sive privato, vel etiam in vico, *obsante tamen L. 2. §. fin. b. 1. Vid. Stryck. in ll. Ad. eod. §. 7. & 8.* Ubinam observamus, eos infames fieri, qui bina sponsalia contrahunt, quod tamen magno rigore statuit *L. 1. in fin. b. 1. cui consentit Jus Pruten. Nieu L. X. L. 2. T. 3. A. 1. §. Hierauff so gebiethen Wir. qui locus remittit ad Libr. 6. ubi tamen nihil est, quod ad hanc materiam reperias, nec Grube in Commentario ullum talis sententia adduxit præjudicatum.* Qui juratam transactionem rescindunt etiam jure Civili infamix maculam inultam habent. *L. 41. C. de transact.* Sed an in praxi hoc obtineat, multa sunt dubia & verior apparet sententia contraria. *Conf. Beyer ad ff. tit. de transact. posit. 8. in not.* quod sine dubio in talibus obtinet, ubi transactio est contra Jus vel bonos mores. *Vid. Nieu L. X. L. 4. T. 16. Art. 5. §. 14. & D. Rabe in Dissert.*

*Differt. de actibus juratis §. 27.* Illud vero jam nemo, credo, approbabit, milites famam lædere suam, jureque notari, ubi aliena prædia conducunt, licet id asserat *L. fin. C. de Locat.* quod jam notavit *Greenewegen in Legib. abrogat. ibid. L. 31* & ipse tamen immodestius locutus, hodiernos milites nullius existimationis atque infimæ notæ homines dicens, *Ibid. p. 546.* Id quod de advocatis dicitur, eos si in causis agendis probris certant, opinionis suæ imminutionem pati debere, jam non allegamus. *L. 6. §. 1. C. de postulando.* Præterquam enim, quod verba legis mitiorem interpretationem admittant, hodie certum est, ea non esse in usu, sed potius tali casu alias pœnas obtinere. *Conf. Uen L. X. L. 1. T. 20. §. 6. verb. Von jedem hönischen stachlichten Schmähe, Wort ein Glogen Ungarisch.* quamvis in sententiis non soleant singula verba numerari sed ponderata eorum virulentia, multa solvenda generaliter notari. *Conf. Grube ad l. c. in Præjudic.*

## §. III.

Est non opus est plura talia cumulari, cum ipsa ratio, quam merito sapientiores pro anima legis habent, suadeat, iudicibus nostris in tali causa non rigorem alieni juris, sed seculi potius nostri genium sequendum esse: ubi sane reipublicæ creditur expedire, si abundet viris honestis, multum autem ejus utilitatibus derogabitur si magnus hominum numerus sit in civitate, qui laboret infamia. Accedit quod hæc pœna regulis veræ Politicæ, si adeo promiscua sit, parum conveniat, ut pote quæ cum emendare & delinquentem deberet & alios, neutro fine commode potiri potest. Ipse enim infamis dum ab honestis collegiis excluditur, & sic extremam egestatem sibi imminentem & vitæ subsidia deficientia videt, nulla vel admodum ineerta spe inveniendi aliquod medium, quod tantis cum malis subtrahat, vix emendabitur: sed potius dum honesto cum aliis consortio ipsi interdictum est, de die in diem deterior factus, fama amissa ad graviora scelera aditum sibi superesse censebit. Alii vero, ubi talem pœnam quotidiani esse exempli ob frequentiam in foris animadverterint, minorem credent esse maculam, quæ inter tam multos dispergitur, ipsaque societate eorum, quibus eadem no-

ta adhæret, ignominiam suam consolabuntur. Hinc in praxi videas, vix quemquam infamem declarari, nisi simul etiam provincia expellatur. Alias enim in sententiis fama communiter reservatur, imo ex nostris moribus reservata esse censei debet. *Conf. Brunnemann ad L. 4. b. t. & Beyer ad ff. ad rubr. b. t. p. 123.*

## §. IV.]

Cur Romanis aliud placuerit, nostræ operæ pretium non est hic multis indagare. In tanto hominum cujuscunque fortis, ad urbem orbis principem confluxu, non adeo gravis videbatur infamia iis, qui vel abire poterant, vel etiamsi manerent in republica, non tamen adeo contemti essent ut modum vitæ tolerandæ invenire non solerent, si vel ad scenam aut arenam animum applicare voluissent; quæ vivendi ratio sat multis alimenta præbere poterat, cum tales ludi pro necessario in republica munere, imo pro parte cultus divini haberentur. Infames autem hic exclusos non fuisse patet ex Svetonio *in vit. Tiberii c. 35.* Quin si nec hoc placuisset, non adeo dura erat conditio servi Romani, ut post famæ jacturam, etiam libertatis venditæ detrimento, media tolerandi vitam quærere exhorrescendum sibi haberet. Equidem Justiniani temporibus hic status prioris reipublicæ non amplius conveniebat, sed notum est, quam male antiqui in provincia recepti ritus aboleri, ubi vetustate speciem necessitatis sibi contraxerunt, possint. Id certum est nostris temporibus talia non convenire, cum infami vix alia ratio qualitercunque vivendi relicta sit, quam triste, vile, abominabile multis licitoris publici inter servitia carnificum adscripti officium; Quod sane nec adeo magnum personarum numerum continere potest, quantus mox esset obruiturus nostras provincias, si Jus Romanum hic strictè sequi vellemus.

## §. V.

Hanc vero infamiam, ut propius ad institutum nostrum accedamus, vulgo distinguat in infamiam juris, quæ juris auctoritate con-

contrahitur, & infamiam facti, quæ contrahitur sine juris auctoritate. Hanc distinctionem fundant in *L. 27. C. de inoff. testam.* & forte ei ansam dedit *L. 39. in fin. ff. de furt. verb. facti ignominiam.* Nos eam eo ipso quidem inutilem pronunciare possumus, quia nihil potest effectum juris habere, in quo juris auctoritas non concurrat, quod autem effectum in jure non habet ad jus non pertinet. *Conf. Titius ad Lauterb. h. t. n. 52.*

## §. VI.

Concedendum quidem est, olim in libera republica aliam etiam hujus rei potuisse esse faciem; uti enim populus ipse sibi per consuetudinem jus constituerebat, cum idem esset an tacite declararet voluntatem an palam *L. 32. ff. de LL.* fieri etiam potuit, ut certa quædam vitia opinione hominum constanti talia haberentur, ut notam inurerent committenti & cum impedirent ab honoribus, qui per suffragia populi in comitiis deferri consueverant. Quo ipso tamen & talis infamia cœpit esse juris, quia etiam consuetudo jus constituit. Et hunc sensum videntur ante oculos habuisse, qui potius distinguere voluerunt inter infamiam juris expressam & tacitam; quod quidem non ita intellectum velim, quod in posteriori tale factum a lege relinquatur censuræ honestorum virorum, *quæ est sententia Stryckii ad Lauterb. h. t. n. 45.* sed quod lex tacite opinioni gravium virorum assisteret, cum hi ipsi magna auctoritate in republica præditi, potestatem legislativam quadantenus exercere etiam sua opinione possent.

## §. VII.

Hinc mirum non est, quod & illi, qui de jure respondebant, id sibi libertatis sumserint, ut multa in scriptis suis infamia censerent, licet nulla lex adhucdum talia notasset. Quæ tamen cum antea saltem pertinerent ad opiniones prudentum, postea tamen, cum a Justiniano pro suis agnita sint jam non manent privatæ opinionis, sed publicis legibus accensenda sunt. Notum enim est multas in ff. re-

periri leges ubi Jurisconsulti admodum populariter locuti sunt, quæ tamen jam omnes auctoritate Imperatoris una eademque ratione censentur. *Conf. Lyncker de Jure restituenda fama Th. 7.* Præterea tamen etiam credendum est, multa talia tradi in legibus non dispositione legislatoria, sed in solam comminationem, ut non tam ostendatur, quid in effectu juris fieri debeat, quam quid plerumque ex opinione hominum fiat. Et huc pertinent exempla, quod gravata sit ejus opinio, qui ancillas compresserit. *L. 25. C. ad L. Jul. de adult.* quod opinionem apud bonos & graves viros oneret, si pater filium increpaverit. *L. 13. C. ex quib. caus. inf. irrog. &c.* Licet enim ibi contineantur Imperatorum constitutiones, probabile tamen est, eos potius turpitudinem talis criminis ostendere, quam macula effectum juris habitura notare voluisse, *quod ex loco quodam Juris Saxonici pag. 26. illustrat Beyer ad ff. b. r. p. 127.* Wer mit verdächtigen Personen ausser der Ehe haushält / der soll über die Verkleinerung / so ihm von männiglich daraus erfolgen wird / von seiner Obrigkeit dærum gestraffet werden. *ex quo sua descripsit Dresselius ad Schöpferum eod. tit. p. 86.* Id sane privatis concedendum non est, ut illi sua opinione jus faciant & potestatem legislativam, quæ sine dubio ad regalia pertinet, exerceant. Cui sententiæ calculum adjicit *Callistratus in L. 5. §. 1. ff. de extraord. cognit.* ubi famam legibus & moribus approbari, sed ex delicto auctoritate legum minui, aut consumi dicit.

## §. VIII.

Manet igitur, si circulos juridicos consideres, una saltem infamia, eaque juris, altera illa, quam facti vocant, ad jus non pertinet, sed ad Ethicam. *Quod jam monuit Thomas. ad ff. h. e. p. 76. & Beyer in Posit. ibid. p. 122. qui propterea inter infamiam civilem & naturalem distinguit.* Neque in praxi hodie observes speciales aliquos effectus ejus ignominix, quæ ex sola hominum opinione dependet, nisi quod homines prohi ejusmodi infames avertentur, ac cum iis circumspicte agant. *Titius ad Lauterb. h. e. n. 52.* Quod autem dicunt eandem removere a suscipiendis honoribus, hoc non ubique observatur, & non dependet, nisi ex arbitrio eorum, qui honores conferunt, quod sæpe



sepe admodum variat. *Thomas. l. c.* Imo sæpius videās, hominestas, quorum opinio apud bonos & graves viros onerata est, nihilo minus ad insignes dignitates evehi, & non infimum in republica obtinere locum. *Beyer l. c.* Quod quidam huc referunt pœnam decoctorum dolosorum, qui flavo pileo uti jubentur, *Mencke ad Lauterb. h. r. n. 46.* nobis non obstat, nam nec hic adest infamia nisi jus irrogaverit. Eaque ipsa pœnæque ac lapidis ignominiosi paucis in locis observatur, Juri Prut. certe in cognita, quod hoc in casu durius est. *Vid. Edict gegen die Banqueroutiers in allegat.*

§. IX.

Id adhuc monemus, in genere doctrinam de infamia, quatenus Jure Civili continetur, Praxi Germanorum non ita feliciter applicari, licet fortuito in quibusdam conveniat; cum infamia non tam dependeat ex facto solo, sed etiam ex auctoritate regentis, & hic alia est ratio diversorum regiminum. *Conf. Stryck. in U. M. b. r. §. 1. & addatur Thomasius in den Gerichtlichen Sündeln P. 3. p. 167. & in Dissert. de exstimatione, fama & infamia Coroll. 9. & 10. & in diss. An pœna viventium infamantes sine absurda val abroganda. addatur etiam ejusd. Dissert. de caus. Novicor adimend. legitimam §. 20. seqq. ex qua illustrari poterit Nieu L. R. L. 5. T. 5. A. 1. §. 4. vers. die Zeehende.*

DE



DE  
**JURE NATURE ET GEN-  
 TIUM PRIMÆVO ET  
 SECUNDÆVO**

*ad Tit. Instit. de Jur. Nat. Gent. & Civ.*

§. 1. & 2.

§. I.

**N**on statueram loqui de hac distinctione; nisi legendo  
 textum Institutionum animadvertissem, eam, licet in  
 se inutilem, speciem tamen quandam habuisse necessi-  
 tatis, neque satis aperte a recentioribus commentato-  
 ribus explicatum esse, quomodo ex mente glossatorum  
 ea intelligenda sit; utpote cum quilibet potissimum propriam suam  
 sententiam tam in ipso textu, quam in his distinctionibus quærat,  
 & ita, sensum potius inferat, quam extrahat.

§. II.

Juvabit ipsum textum, quantum proposito nostro necessum  
 est, adscribere. *Jus Natura est, quod natura omnia animalia do-  
 cuit, §. 1. quod vero naturalis ratio inter omnes homines constituit,  
 id apud omnes peræque custoditur, vocaturque Jus Gentium quasi quo  
 jure omnes gentes utantur. §. 2. Jus autem gentium omni humano  
 generi commune est, nam usu exigente & humanis necessitatibus, gen-  
 tes humana jura quadam sibi constituere. Bella enim orta sunt &  
 captivitates sequuta, & servitutes, que sunt juri natura contrarie;  
 jure enim natura omnes homines ab initio liberi nascebantur. Et  
 ex hoc jure gentium omnes pene contractus introducti sunt. §. II.  
 Naturalia hæc jura, que apud omnes gentes peræque observantur, di-  
 vina quadam providentia constituta semper firma atque immutabilia  
 permanent.* Hi tam diversi textus sub eodem titulo non per modum

cento-

17

centonum, uti fit in ff. coacervati, sed sua fluentes serie, multum dederunt interpretibus crucis, quomodo intelligi deberent, & quomodo cum norma sanioris philosophiæ, cujus partem jus naturale constituit, conciliandi essent.

§. III.

Et quidem quod ad definitionem Juris Naturæ quæ in principio continetur, attinet, de ea hic, tanquam extra locum, non erimus solliciti, breviter notantes, hunc loquendi modum genio linguæ latinæ non inconvenientem esse, ut pro ordine naturæ lex vel jus dicatur, *v. g. fruges maturitatem stato tempore expectant, adeo etiam illa sensus omnis expertia sua lege mitescunt. Curtius L. 6. Cap. 3. n. 7.* Ad definitionem vero juris gentium nihil etiam est, quod moneamus, & si in ea substitissent Institutionum architecti, vitio illis vix quicquam verti potuisset. Talis enim est, ut facile in ea jus illud, quod hodie naturale dicimus & quo gentes utuntur agnoscamus. Conveniunt etiam bene, quæ in §. 11. dicta sunt nihilque labis habent. Sed crucem figit §. 2. ibi enim jus gentium a gentibus, non a naturali ratione dicitur constitutum, causa ejus usus & humanæ necessitates indignantur, & effectus quidam ei adscribuntur, qui naturali juri sunt contrarii.

§. IV.

Operæ pretium putavi inquirere, annon ipsa nobis antiquiorum in jus commentaria lucem hic accendere possent, quæ indagando vero sensui conferre posset. Evolvi igitur Caji, quæ restant fragmenta. Notum enim his potissimum tanquam fundamento Justiniani jussu suscepta rudimenta fuisse superstructa. Ast in illis nihil huc pertinens reperias, certo indicio, ea esse interpolata, quod Aniano Alarici consiliario tribuunt, ipse enim Cajuus in suis Institutionibus de hac materia egerat, *quod apparet ex L. 9. ff. de Just. & Jur.* ita tamen ut non dicat ea omnia, quæ in libello Justiniano tradita supra descripsimus. Hinc in eam delapsus sum suspensionem, totum hunc, ex quo superiora hausimus, titulum non ex

C

unico

unico Cajo conscriptum sed ex pluribus, & ita revera etiam centones continere. Qui igitur, cur male cohæreant & sibi contradicant, mirum adeo videri non debet, dum compilatores, cum prioribus lucem affundere voluerunt, dederunt tenebras. In ea ipsa sententia confirmatus sum ubi Tit. ff. de Just. & Jur. evolvi, ibique reperi hunc Tit. 2. in Institutionibus quoad pr. ex Ulpiano, *Vid. L. 1. §. 3. ff. de Just. & Jur. quoad §. 1. ex Cajo, Vid. L. 9. ff. ibid. quoad §. 2. ex Ulpiano & Hermogene, Vid. L. 4. & 5. ibid. peticum esse. Qui omnes, cum Institutionum libros scripserint, hic videntur esse per lacinias decerpti, & forsan etiam plures, nam etiam Florentinus, Martianus, Callistratus, Paulus scripserunt Institutiones. Vid. L. 2. 4. 6. 8. 10. 11. 12. & 25. ff. de acquir. rer. domin. ut adeo mirum non sit, tot capita non posse in unum sensum conciliari, incertumque maneat, ex quonam horum ea, quæ in §. 2. de usu exigente & humanis necessitatibus memorantur petita sint. Ex Cajo sane hausta non sunt, quod etiam apparet ex ejus Libr. 2. rer. quotidian. in quo a Jure Gentium, quod ratione naturali inter omnes homines peræque servatur, jura belli & servitutis non excludit. *Vid. L. 1. pr. ff. de acquir. rer. dom. & L. 5. §. 7. ibid.* Ut adeo conciliatio Pagenstecheri speciosa quidem sit, quando dicit. in §. 2. h. t. saltem explicari, quæ sit naturalis illa ratio, nempe consideratio utilitatis & necessitatis, *ad Lauterb. h. t. n. 34.* sed vix tamen credibile sit, Institutionum conscriptores id cogitasse, cum alias non dixissent gentes sibi jus constituisse, sed potius, id quod ipsis jam constitutum erat institutis suis applicasse.*

## §. V.

Credidi, aliquid lucis oborturum esse, si consulerem græcam paraphrasin Theophili, quem quidam inter compilatores Institutionum referunt, *arg. Probem. J. §. 3. quam sententiam multis tueri conatur Gundlingiana II Stück n. 2* alii quidem diversum esse statuunt, non tamen ita longe post vixisse, cum veterum monumenta, ex quibus Justinianus sua delumi jussit, adhuc existerent.

*Conf.*

*Conf. Godofredus in Biblioth. Jur. Civ. p. 77.* Hunc enim optime putabam intellexisse ea, quæ vel ipse approbasset, vel saltem traditurum, quonam modo hæc sententia vulgariter explicata fuerit. sed nihil ibi reperi, quod mihi prodesset, philosophatur enim omnia & postquam jus gentium per abusum naturale dici notavit, definit idipsum; quod ad omnes homines, aut eos saltem, qui ratione volunt vivere, extenditur, *Theophilus in Paraphrasi b. c. §. 2.* In quo itajam apparent vestigia distinctionis inter gentes moratiores & barbaras, quæ licet multis deinde placuerit. hoc tamen in negotio per se vana est. Igitur nihil aliud didici ex Theophilo, nisi quod ipsius jam temporibus Justiniani Philosophia non habita fuit pro lege, a qua recedere non liceret, alias enim hanc sibi licentiam non sumpsisset Theophilus. Magis adhuc discedentem invenit Harmenopulum, qui post edita Basilica, Justiniani auctoritate jam evalescente sua scripsisse traditur. Ille enim jus naturæ quidem etiam definit; quod natura omnia animalia docuit, sed jus gentium ipsi est jus, quo gentes gentesve utuntur, ut non misceri matribus apud Sarmatas & Græcos, contra iis misceri apud Persas. *Harmenopulus in Promptuar. Libr. 1. T. 1. pag. 3.* ubi clarum est Jus accipi pro moribus gentium singularum.

## §. VI.

Quicquid igitur dicendum sit de mente veterum in Institutionibus tradita, glossatores, qui in Iustiniano etiam ubi philosophabatur, reverebantur legislatorem, inhærendum putarunt verbis, & igitur hic dignam cenlebant sibi oblatam occasionem, qua subtile illud mentis acumen exercerent. Eo magis, quod obliervarent Juris naturæ & Gentium appellations in Corpore juris sæpe confundi & unum pro altero poni. Ita enim L. 3. ff. de Just. & Jur. defensio sui juri gentium adscribitur, quæ L. 4. pr. ff. ad L. Aquil. est ex permissu naturalis rationis. L. 14. §. 2. in fin. ff. de rit. nuptiar. incestus dicitur contra naturale jus, L. ut ff. eod. dicitur contra jus gentium. Imo non tantum Cicero de officiis L. 3. C. 5. posuerat; natura id est jure gentium, sed etiam §. 11. J. de rer. divis. clare dicitur:

*citur: jure naturali, quod sicuti diximus appellatur jus gentium* §. 41. *ibid. Jure gentium, idest jure naturali, §. L. 9. ff. de Just. §. Jur. quod naturalis ratio constituit, est jus gentium.* Hisce notis ut se exsolverent, distinxerunt inter Jus gentium primævum, de quo §. 1. b. 1. loquitur, & secundævum, quod in §. 2. *ibid.* reperiri se putabant; quasi prius illud primo statim ævo cum homine natum, posterius vero, ævis subsequētibz ex necessitate & utilitate paullatim inventum. Et cum animadverterent, prius illud sæpius jus naturæ vocari, distinxerunt eodem modo inter jus naturæ primarium, quod omnia animalia obligat, & inter secundarium, quod cum jure gentium primævo idem esse dicebant. *Conf. Beyer in Posit. Jur. Nat. C. 9. posit. 85. seqq.* Ad quam distinctionem eos forte perduxit *L. 1. pr. ff. de acquir. rer. domin.* ubi jus gentium cum ipso genere humano proditum antiquius dicitur,

## §. VII.

Licet igitur hæc distinctio ad salvandos textus sibi in speciem contradicentes & ad reverendam Triboniani auctoritatem tuendam, videretur conducere. *Thomas. in fund. Jur. Nat. L. 1 C. 5. §. ult.* adeo ut Bachovius judicio carere eos dicat, qui eam tam evidenti ratione subnixam non ferunt. *ad §. 2. J. b. 1.* per se tamen inutilis est, quia ortum debet confuse compilato Institutionum textui, ex quo sane clare distinctum nihil apparere poterat. Interpretes tamen multi pro ea pugnarunt, potius quod eandem accommodarent suis principiis, quam æstimarent ex origine. Inde tantus Doctorum catalogus eandem vel adprobantium vel rejicientium adductus est *in von der Linde Dissertatione de Incestu, p. 26.* qui facili opera augeri posset, Nos potiores saltem quasdam sententias notabimus.

## §. VIII.

II, qui jus gentium aliquod stricte dictum, quod scilicet gentes ex suo arbitrio sibi statuissent, quodque omnem suam obligationem ex eorum consensu capit, tuebantur, credebant, hanc  
distin-

distinctionem suis posse applicari hypothefibus. *Conf. Habn ad Wesenb. b. t. p. 33. & van der Linde loc. cit.* Sed postquam satis jam evidentum est, jus gentium universale a jure naturali distinctum non dari, sed ipsum illud jus naturæ, quatenus gentes eo reguntur, eo nomine saltem appellari; & hac ratione hæc distinctio usum nullum habebit. *Conf. Hobbes de Civ. C. 14. S. 4. & Ludovici in Us pract. dist. Dist. 6. b. t. Puffend. de J. N. & G. l. 2. c. 3. n. 23. Thomaf. Jurispr. divin. l. 1. c. 2. §. 104. & infundam. l. 1. c. 5. §. 65. Buddeus Phil. practic. P. II. c. 1. §. 14.* Ita concidit etiam differentia, qua jus gentium primævum jus rationis, secundævum jus ratiocinationis dicit *Wesenbec. ad Schneidew. §. 1. J. b. t. n. 4.* nam ratio sine ratiocinatione se non exferit, etiamsi antea adesse possit, & si quid huic distinctioni deferendum esset, pertineret ad Logicam, non ad jus naturale. *Hoppius* inter cujus laudes merito referunt, quod clarus & perspicuus sit, quamvis ejus philosophia circa primos titulos parum æstimanda, putavit jus gentium primævum suppeditari a ratione simplici, absque ullo aut non ita difficili discursu, vel cui quis absque contradictione assentitur, secundævum ex ratione composita, accedente causa externa, utilitate & necessitate, *in Comment. b. t. p. 33.* Sed ita negotium novis tricis involvitur. Valde enim dubium est, quis sit difficilis discursus, quis non, cum variant ingenia & uni id certam videatur, quod ex alterius sententia multis contradictionibus obnoxium: Imo æque difficile est, differentiam inter rationem simplicem & compositam invenire, si per posteriorem intelligas eam quæ utilitate & necessitate movetur. Omnes enim hominum actiones, quæ ratione producuntur, versantur circa hunc cardinem, nihilque potest voluntas appetere, nisi sub specie boni, i. e. quod sibi utile vel necessarium crediderit,

### §. IX.

Tolerabilior videtur eorum sententia, qui per jus gentium primævum putant intelligi jus naturæ absolutum, quo scilicet omnes homines, quocunque statu sint, regantur; per jus secundævum vero jus naturæ hypotheticum, quod certum aliquem statum v. gr. civilem

civilem involvit. Sed præterquam, quod ita idem jus naturæ maneat, etiam verba illa §. 2. quod gentes sibi statuerunt, huc non quadrant; quia jus etiam hypotheticum non oritur ex constitutione gentium, quamvis illæ statum, cui applicari debet, sibi constituere possint. Idem sentiendum de illis, qui per jus illud, quod primævum dicitur, jus naturæ præceptivum, per illud quod secundævum appellant, jus naturæ permissivum denotari dicunt. Nam certum cædo, quod tale jus permissivum protinus non fluat ex lege sed potius ex ejus cessatione; & nimis etiam anguste videtur dictum; id quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, ultra jus præceptivum se non extendere, quod etiam notavit *Bæler ad Grot. L. 1. C. 1. §. 9. p. 147.*

## §. X.

Concludamus ergo: hæc distinctio est nudum collyrium, Doctorumque emplastrum, remedendæ vitiosæ juris naturæ definitioni conciliandisque aliis sibi contradicentibus textibus inventum.

---

*Lips. Manuduct. ad Philosoph. Stoic. præf. ad Lector.*

Calor, aut impressa in unam rem cogitatio, interim abducit, & extra limites aut veri aut decori fortasse aufert. Si mihi factum sit venia: testificor sana & sobria me amare, & eo redigi velle scribenda aut scripta.





Königsberg, Diss; 1720-39

ULB Halle

004 587 928



3


f

sb.

Wolp







20.  
Q. D. B. V.  
EXERCITATIONES JURIDICÆ  
DE  
**INUTILITATE  
DISTINCTIONUM  
QUARUNDAM,**

IN SPECIE:  
DE  
**LEGE PERMISSIVA ET PRÆCEPTIVA:**  
DE  
**INFAMIA JURIS ET FACTI.**  
DE  
**JURE NATURÆ PRIMÆVO ET SE-  
CUNDÆVO.**

DE QUIBUS  
*Magnifici Actorum Ordinis Consensu;*  
**PRO RECEPTIONE IN FACULTATEM  
DISPUTABIT  
JOH. SIMON BECKENSTEIN,**  
GED. J. U. D.

ET RESPONDEBIT  
**JOHANNES THEODORUS von Kahlen/**  
R. B. LL. STUD.

**ANNO MDCCXXIV. DIE XV. MAJI  
HORIS LOCOQUE CONSUVETIS.**

---

**REGIOMONTI, LITTERIS REUSNERIANIS.**